



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. An, & qualiter mala, vel bona fides Prælati possit obesse, vel
prodesse Ecclesiæ quoad præscriptionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tempus, quo malâ fide rem possidebat, nihil prodest ad præscribendum, neque tamen mala antecessoris fides etiam impedit illum, quò minus præscriptionem inchoare possit, si bonam ipse fidem habet, & res præscribenda nullo vitio reali affecta sit, quò minus præscribi possit; impedit autem illum ad inchoandam etiam præscriptionem, quamvis malam fidem ille non habeat, si successor sit universalis, sive hæres antecessoris malæ fidei; vitium enim defuncti nocere eius successori universali, cum sit (iuris fictione) una cum defuncto persona, & eadem (iuris fictione) hæredis talis, & antecessoris illius possessio, & passim asseritur; nisi hæres talis præter titulum hæreditatis, alio speciali titulo rem talem possideret, aut non esset hæres immediatus, sed mediatus tantum, &c. hoc enim in utroque casu non obesset mala fides antecessoris, cum in ordine ad talem rem, vel non sit una eademque persona (iuris fictione) successor cum antecessore, vel daretur duplex fictio iuris, quæ tamen à iure reprobat.

§. VII.

An mala fides respectu unius impediatur præscriptionem respectu alterius?

Non impedit mala fides respectu unius rei aut iuris, præscriptionem respectu alterius rei, vel iuris distincti, cum bona fides præscriptioni necessaria, circa ea tantum necessaria sit, quæ præscribuntur: qui tamen absolute circa rem, quæ præscribere vult, malam fidem habet, sciens eam esse alienam, etiam si erret circa personam putans eam Titii esse, cum tamen sit Caii, præscribere non potest,

parum enim interest ad malam fidem, utrum huius vel illius sit, modò sciatur res esse aliena.

§. VIII.

An, & qualiter mala, vel bona fides Prælati possit obesse, vel prodesse Ecclesie quoad præscriptionem?

SI Prælati noverit, rem, quæ ab Ecclesia detinetur, notoriè esse alienam, præscribere eam non potest, sed restituere tenetur, & in tali casu non censetur, rem Ecclesie alienare, quod sine solemnitatibus ipsi prohibitum, sed alienam rem suo Domino restituere, quod boni administratoris est: Si verò notorium non sit, rem alienam esse, neque à Prælato hoc probari possit, retinere eam poterit, & præscribere, cum nullam justam causam habeat, Ecclesia eam alienandi; & quamvis si scientiam rei alienæ habeat Prælati, Capitulum verò circa eam, quæ communiter à Prælato & Capitulo possidetur, bonam fidem habeat, probabilis præscriptioni locus non sit. cum propter malam fidem Prælati, destruat bona fides Capituli, circa rem, quæ communiter possidetur; in rebus tamen ad Capitulum solum spectantibus nihil obest mala fides Prælati, modò Capitulum sit in bona fide, & Prælati in iudicio facta confessio dicat, quòd res talis aliena sit in rebus divisis, præjudicat quidem Prælato, quoad suam partem (saltem quoad vivit) nihil tamen præjudicat Capitulo, quò minus præscribere possit, nisi mandatum à Capitulo ille habeat, pro re tali in iudicio agendi, aut præsumptio iuris sit contra Capitulum, quòd

quod scilicet res talis aliena sit. *arg. c. Si diligenti 17. h. r.*

SECTIO III.

De tertia, & quarta conditione, videlicet de Titulo, & tempore ad prescribendum necessario.

§. I.

Au, & qualis Titulus requiratur ad sufficientem, & probam prescriptionem, & quando nullus requiratur?

ORdinariè requiri ad prescribendum præter bonam fidem justum titulum, in confesso est apud omnes, eò quod titulus sit causa, & fundamentum justæ possessionis, & bonam fidem habere vix possit aliquis ab initio saltem, nisi habilem habeat, & sufficientem titulum ad possidendum. Neque tamen Titulus hic ad prescriptionem requisitus verus debet esse, vera v. g. donatio, vera venditio, vera solutio, &c. (talis enim titulus verus sine prescriptione transfert dominium) sed sufficit coloratus, sive apparens, qui bonâ fide putatur validus, quamvis à parte rei non sit, qualis titulus est donatio v. g. venditio, &c. insufficientis quidem secundùm se, ob latentem defectum, ad transferendum dominium in donatarium, emptorem, &c. sufficiens tamen cum usucapione, vel exstimatus, ut si v. g. hæres alicui rem tradat, quasi debitam ex Legato, cum revera legata non sit, vel præsumptus tantùm, si scilicet ob temporis diuturnitatem intervenisse titulum jus præsumit, cum tamen for-

tasse nullus intervenerit. Et quidem in prescriptione ordinaria longi temporis decem scilicet, aut duodecim annorum sicut & in triennali usucapione titulus non præsumitur, sed requiritur, ut allegetur, & probetur titulus coloratus, & exstimatus, ut constat ex *L. Nullus in Cod. De rei vindicat. & ex Can. Paganus 15. §. Potest etiam aliter. Causa 16. p. 1.* In prescriptione autem longissimi temporis, 30. vel 40. annorum, colorariè non requiritur titulus, qui allegatur, & probetur, sed sufficit bona fides, quâ credit prescribens titulum se habere, & causam possidendi, tamen si titulum eam non habeat, *L. 3. & 4. Cod. De prescript. 30. vel 40. annorum.* Quod longè certius est, in prescriptione centenaria, vel immemoriali, cum in tali prescriptione tempus immemorabile, seu longissimum tempus vim præsumpti tituli habeat, & tribuat ex privilegio forentis Principis, vel à Lege concessio, &c. præsumpti sibi temporis, vel etiam centenariæ, vel ab aliquo, cui jus commune ad prescribendum resistit, vel alia contra præsumptio pugnat, non sufficit bona fides ad prescribendum, sed debet titulus certus allegari, & probari (si prescriptio sit immemorialis, & capax, ut possidendi in usucapione) *c. Si de genti. 17. h. r. c. Episcopum. 1. Eodem modo cum præsumptio sit contra bonam fidem, cui jus commune ad prescribendum resistit, si nullum possessionis titulum ostendere possit.*